

„ quam illo spectante vivamus,
 „ & omnia tamquam illo vi-
 „ dente faciamus. Hoc, mi Lu-
 „ cili, Epicurus præcepit: cu-
 „ stodem nobis & pædagogum
 „ dedit, nec immerito. Magna
 „ pars peccatorum tollitur, si
 „ peccaturis testis assistat. A-
 „ liquem habeat animus, quem
 „ vereatur, cujus auctoritate
 „ etiam secretum suum san-
 „ ctius faciat. O felicem illum,
 „ qui non ad spectum tantum,
 „ sed etiam cogitatus emen-
 „ dat! O felicem, qui sic ali-
 „ quem vereri potest, ut ad
 „ memoriam quoque ejus se
 „ componat atque ordinet! Qui
 „ sic aliquem vereri potest, ci-
 „ to erit verendus. Elige ita-
 „ que Catonem: si hic vi-
 „ detur tibi nimis rigidus, eli-
 „ ge remissioris animi virum,
 „ Lælium; elige eum, cujus ti-
 „ bi placuit & vita, & oratio;
 „ & ipsius animum ante te fe-
 „ rens & vultus, illum semper
 „ tibi ostende, vel custodem,
 „ vel exemplum. Opus est, in-
 „ quam, aliquo, ad quem mo-

„ res nostri se ipsi exigant. Ni-
 „ si ad regulam, prava non
 „ corriges. „ Hactenus ille. At
 „ quæ alia commodior vitæ re-
 „ gula, quis testis nobis sanctior,
 „ quam Dei & angelorum con-
 „ spectus? Hoc autem, fratres,
 „ inter spiritualis vitæ consilia
 „ maxime commendatur, ut om-
 „ ni tempore, omnibusque in
 „ locis Deum præsentem habea-
 „ mus. Itaque sive domi residen-
 „ tes, sive in via gradientes, si-
 „ ve in æde sacra, sive in platea,
 „ sive in otio, sive in negotio,
 „ sive in mensa dum cibum capi-
 „ mus, sive in lecto dum quieti
 „ membra componimus, Deum
 „ semper, quatenus per infirmi-
 „ tatem humanam licuerit, in-
 „ tueamur, nec ab illius con-
 „ spectu mentis nostræ aciem
 „ usquam deflectamus. Hac e-
 „ nim ratione fiet, non solum
 „ ut is & testis nobis & ad-
 „ jutor sit ad vitæ innocen-
 „ tiam, sed dux etiam & an-
 „ tesignanus ad immortalitatis
 „ & felicitatis sempiternæ glo-
 „ riam.

IN



IN EODEM FESTO
 SANCTI MICHAELIS
 CONCIO SECUNDA,
 IN QUA LECTIO EVANGELICA
 explanatur.

*THE. Angeli eorum in calis semper vident faciem Patris mei,
 qui in calis est. Matth. XVIII. 10.*

*** Uum peccata omnia,
 * Q * dilectissimi, aut car-
 * * nalia sint, aut spiri-
 *** tualia; constat pla-
 ne, spiritualia esse carnalibus
 graviora: in quorum numero
 superbiam præcipue colloca-
 mus. Habet autem superbia
 tria insignia mala. Primum,
 quod inter maxima crimina
 numeretur; hoc enim illa Da-
 vidis verba indicant: (a) *si mei
 non fuerint dominati, tunc im-
 maculatus ero, & emundabor a
 delicto maximo.* Maximum ve-
 ro delictum appellat super-
 biam; de qua prophetam lo-
 qui, versio Hieronymi ex He-
 braeo declarat: qui pro eo quod
 nos legimus: *ab occultis meis
 munda me*; ille vertit: *a super-
 bis quoque libera servum tuum,*

&c. Ideo autem superbia de-
 lictum maximum appellatur,
 quia singulari quadam ratione
 cum divina mente pugnat. Tria
 enim sunt peccatorum genera,
 quorum alia ipsum hominem
 sibi, alia proximum, alia Deum
 eripiunt. Ira enim hominem si-
 bi ipsi eripit: quoniam iratus,
 quo tempore ira æstuat, sui ju-
 ris non est, quæ rationis com-
 pos non sit, quæ propria est
 hominis. Invidia autem proxi-
 mum mihi, ejusque bona eri-
 pit. Si enim me caritas unum
 cum proximo efficit, ejusque
 bona, mea per amorem facit;
 consequens est, ut invidia, quæ
 caritati adversatur, illum mi-
 hi, ejusque bona adimat: qui-
 bus ego adeo non fruor, ut il-
 lis etiam propter invidiæ ta-
 bem

(a) Psalm. 18. 14.

berem vehementer cruciet. At superbia, his multo gravior, Deum ab homine alienat: quia quum debitum illi honorem & gloriam surripiat, de gloria possessione atque primatu adversus illum contendit. Quamvis enim mortifera peccata omnia Deum ab anima pellant, hoc tamen singulari hac ratione superbia facit: ideoque delictum maximum appellatur.

Habet item aliud superbia malum, quod videlicet occultissimum vitium sit. Carnalia quippe vitia, quæ per corpus exercentur, facile deprehenduntur: at spiritualia, cujusmodi superbia est, sola fere interiori mentis actione committuntur: ideoque difficilius agnoscuntur, quamvis gravissime animam faucient. Quis enim superbus se esse superbum credit? Hæc igitur duo mala facile declarant, quantum nobis ab hujus peccati veneno cavere debeamus, quum non modo gravissimum, sed etiam occultissimum sit. Postremo habent hoc etiam spiritualia peccata, quod spirituales viros potissimum infestant. Sic enim astutus ille serpens spiritualibus spiritualia comparat, quibus carnalia odio esse intelligit. Ad hoc autem virtutibus

etiam ipsis, quibus spirituales viri exulti sunt, ad superbiam, & inanis gloriae fomentum abuti solet. Quumque virtutum adminiculo cetera vitia debilitentur & extinguantur, sola superbia non raro ex eisdem vires & robur colligit. Tanto enim magis homines insolent, quanto plus se virtutibus ornatos vident. Hinc D. Hieronymus: *superbia, inquit, natione caelestis sublinium mentes inhabitat, in cinere frequenter & cilicio recubans.* Quo minus mirandum est, si hic superbiae spiritus in apostolorum quoque pectora irrepperit. Antiquus enim hostis, qui propter superbiam ex angelo dæmon, atque ex felicissimo infelicissimus factus est, venenum, quo ipse interiit, hominibus propinare contendit, ut illi similiter intereant. Hoc igitur morbo discipuli laborantes, de primatu regni caelorum, quod in hac vita futurum sperabant, sæpe contenderunt. Nam & ante magistri discessum, & in hodierna sancti evangelii lectione de hoc inter se primatu disputare coeperunt, quem sibi unusquisque vindicare volebat. Quæ etiam de causa adversus Jacobum & Joannem indignati sunt, quod sedes ad dexteram

&

& sinistram Domini, subornata matre, petierint. Quemadmodum igitur eo tempore his duobus discipulis subinvidebant: ita modo eodem affectu adversus Petrum commoventur, quod Dominus pro se ac pro illo tantum, non etiam pro aliis discipulis, tributum pendere iusserit. Divina autem dispensatione factum est, ut hanc discipulorum infirmitatem nobis sancti evangelistæ explicarent, ut hoc argumento intelligeremus, quales eos Dominus acceperit, quales spiritu superveniente reddiderit; ut hac ratione discipuli, quid natura, quid gratia posset; & quid sibi, quid Deo tribuendum esset, agnoscerent: quo sic tandem in se ipsis quidem humiles, erga Deum vero grati atque devoti existerent: & ita demum ab omni superbia veneno immunes essent.

Accedentes ergo ad magistrum discipuli, ab eo quaerunt, quis major esset in regno caelorum. Huic autem interrogationi nova quadam & insolita docendi ratione Dominus respondit. *Advocans enim parvulum, statuit eum in medio eorum, & ait: amen dico vobis, nisi conversi fueritis, & efficiamini sicut parvuli, non intra-*

bitis in regnum caelorum. Utrobique Dominus diversam ab effectibus carnis nostræ viam elegit. Quum discipuli confesum ad dexteram & sinistram ejus peterent, passionis calicem illis proposuit: quum vero primatum regni caelorum in præsentis lectione ambirent, infimam illis humilitatis viam, qua ad regnum pervenitur, ostendit. Sic sapiens & fidelis animarum medicus, non quid ager animus cupiat, sed quid ei potissimum expediat, præscribit. Itaque ait: vos de primatu, & sublimi sede contenditis, ego autem asseveranter prædico vobis, nisi efficiamini sicut parvuli, non modo caelestis regni primatum non assequuturos, sed nullum prorsus in eo regno locum vos habituros. Vos item de terreni regni gloria quaestionem proponitis: ego ad caelestis regni gloriam, quæ vera & sempiterna est, vos revoco. Quam si adipisci desideratis, hac lege vobis illam comparare debetis. *Nisi enim conversi fueritis, & efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum caelorum. Quicumque ergo humiliaverit se sicut parvulus iste, hic major est in regno caelorum.*

Hæc Domini verba non tam ver-

ver.

verba, quam fulmina, mihi esse videntur. Quid enim magis timendum, quam sub hac omnium extrema poenarum hanc a Domino, ut ita dixerim, metamorphosim præcipi? Qui enim fieri poterit, ut adultus homo, & fortasse, ut ille ait, *(a) inveteratus dierum malorum,* hoc modo parvulus fiat? Obstat enim huic animi submissio- ni omnium humanorum affectuum potentissimus, nempe immodicus gloriae & propriae excellentiae amor, imis hominum visceribus infixus. Qui sane affectus adeo late patet, ut nullus sit neque tanta humanitate præditus, neque tam agrestis & inhumanus, neque tantis honoribus insignis, neque tam obscurus & ignotus, neque tot virtutis ornamentis excultus, neque tam multis flagitiis coopertus, qui non flagret infinita quadam gloriae cupiditate. Obstat simili ratione abjectionis atque humilis officii odium, quo aliquam hominis dignitatis suae jacturam sibi facere videatur. Nec enim minori studio vulgus hominum ignominiae notam fugere contendit, quam vadosa loca, & latentes scopulos in mari nauis. Quo enim alio omnia hominum vota & studia confe-

runtur, nisi ut humiliora officia vel loca fugiant, & ad sublimiora provehantur? Quum ergo isti duo affectus velut duo quidam potentissimi gigantes mentem hominis summa vi ab humilitatis abiectione revocent, & ad excelsa rapiant; quis ita se supra naturam, supra mundum, supraque se ipsum attollat, ut his affectibus reclamantibus inanes honores respuat, & humili loco, humilique officio gaudeat? Quomodo ab ea quis cupiditate immunis erit, quæ etiam apostolorum pectora invasit, qui tandem in schola humilitatis sub humilitatis magistro versati erant? Quod si agrestes etiam & inculti homines, quorum vilis gloria est, hoc morbo laborant; quid de principibus & opulentis viris, & vana scientiæ persuasionem inflatis, judicandum erit, qui & majorem gloriam ambiunt, & acriores ad eam expetendam stimulos habent?

§. I.

Verum dicet aliquis fortitan: vehementer animos nostros hæc tua disputatio concutit, quum hinc quidem summam hujus virtutis necessitatem exaggeras, sine qua nemini ad regnum cælorum aditus pa-

patet, inde vero maximam ejus adipiscendæ difficultatem, propter ingenitam mentibus nostris humanæ gloriae appetitionem, ob oculos ponis. Quid igitur? An spes omnis hujus virtutis assequendæ nobis abjicienda est? Minime vero: immo etiam hæc eadem difficultas viam nobis ad hanc virtutem obtinendam munit, dum nobis & animi nostri morbum ostendit, & ad verum animarum medicum remittit. Mandata enim difficilia non faciunt homines transgressores, sed humiles. Quod hæc in re videre licet. Quo enim vehementius homo ad sublimes & inanes honores & dignitates aspirat, hoc magis inanitatem & morbum suum, ac velut sitim febricitantis ostentat, qui adeo ardentem concupiscit, quod illi exitiosum & noxium futurum est. Sic enim divina æquitas & sapientia hominis rebellionem & superbiam punivit, ut poena culpæ esset etiam medicamentum superbiæ: & quia incautus homo ex donis, quæ intra se perceperat, occasionem arripuit superbiendi; ex malis, quæ intra se castigatus sentiret, materiam sumeret se se humiliandi. Sic factum est, ut illata poena admisi criminis esset non

modo supplicium, sed etiam medicamentum.

Miratur D. Augustinus in Genesi, quod Eva, quum primum formata est, virago fuerit appellata; quum vero post admissum crimen ad mortem damnata fuit, vitæ nomen acceperit, materque omnium viventium fuerit nuncupata. Rectius enim hoc illi nomen conveniret in prima sua conditione, quando immortalitatis & justitiæ donum acceperat, quam quum mortis sententia adversus illam prolata est. Quo modo enim cum sententia mortis vitæ nomen consentit? Ad hoc autem idem Augustinus respondet, quod videlicet merito vitæ nomen prima illa femina acceperit, quum sublatis donis, quæ illi superbiendi occasio extiterat, eas intra se molestias & incommoda sentiret, quæ illi se se humiliandi & submittendi materiam singulis pæne momenti præberent: ut hac miseriarum suarum cognitione admonita, vitam reciperet, quam donorum cælestium abusu perdidit. Has autem molestias esse quosdam mentis nostræ monitores, qui ad humilitatem hortentur, & a superbia avocent, declarat idem Augustinus, qui confessionum suarum

rum librum his verbis exorditur: *laudare te, Domine, vult homo, aliqua portio creatura tua: homo, circumferens mortalitatem suam, circumferens testimonium peccati sui, & testimonium, quod superbis resistis.*

Quibus verbis non obscure vir sanctus declaravit, corporis animique molestias, quibus perpetuo infestamur, voces esse, quæ superbiam detestentur; quum hæc omnia mala antiquæ illius superbix supplicia sint. Quocirca mirum non est, si tunc prima illa femina vitæ nomen acceperit, quæ tot contra superbiam, salutis & vitæ exterminatricem, remedia & medicamenta percepit. Quisquis autem hoc miratur, in Apostolum oculos conjiciat: cui (a) magnitudo revelationum donorumque caelestium, elationis ac proinde mortis occasio fuisset, nisi stimulus ille carnis, & quotidiana fragilitatis suæ experimenta, huic periculo obstiterent, quæ illum ad sui cognitionem, & veram cordis humilitatem inducebant. Quid ergo mirum, si vitam appellem, quod mihi, si recte uti velim, salutaris & vitæ materiam præbet?

Quisquis igitur ingentes spiritus, ad quos corrupta & læsa nos natura rapit, comprimere cupit, oculos suos ad interiora mala, quæ propter superbix scelus inflictæ sunt, vertat: ibi enim contra morsum viperæ, ex vipera ipsa antidotum inveniet: ut ipse quoque, sicut de Domino Salvatore dictum est, (b) *de peccato damnet peccatum.* Hanc autem humilitatis viam breviter nobis Dominus per prophetam ostendit, quum dixit: (c) *humiliatio tua in medio tui:* quia videlicet non procul a te, sed intra te, nisi aures occluseris, humilitatis magistrum retines. Habes enim intra te fluidum & casurum corpus, infinitisque morbis obnoxium, non ex terra aut aqua, unde stirpes, aves & pisces procreati sunt; sed ex infima terræ parte, nempe ex limo terræ, formatum: ut hoc nomine jure nos propheta ab inani superbix tumore revocet. Pro eo enim quod nos legimus: (d) *non apponat magnificare se homo super terram;* Hieronymus ex Hebræo vertit: *non apponat magnificare se homo de terra.* Quid ergo superbiat homo de terra, qui in eandem vertendus est?

Si

(a) 2. Corinib. 12. 7. (b) Rom. 8. 3. (c) Mich. 6. 14. (d) Psalm. 9. 39.

Si vero intra corpus animum spectare incipias, offert se primum tibi irrequieta & volubilis imaginandi vis, quæ, arborum foliis inconstantior & volubilior, vix dominicam orationem, sublata in Deum mente, proferre sinit: usque adeo terrenarum rerum cogitationibus fluctuat.

Offert se deinde sentiendi appetitus, proprii amoris sedes, & cupiditatum, voluptatum atque peccatorum omnium seminarium, quod instar olidi sterquilini mortiferos variorum vitiorum foetores exhalat. Hæc enim omnia velut interni quidam doctores sunt, qui assidue vocem illam auribus nostris insufurrare videntur: hominem te esse memento. Rursum si ad præteritæ vitæ conditionem oculos converteris, videbis eam innumerabilium pæne delictorum sordibus foedatam: adeo ut cum rege pœnitente dicere vere polysis: (a) *peccavi super numerum arenae maris, & non sum dignus videre altitudinem celi præ multitudine iniquitatis meæ.*

Adde his etiam motus animi nostri rebelles, quos a nobis radicitus evellere non possu-

mus. Adde quotidiana variorum tentationum pericula, quibus pios Dominus ad infirmitatis suæ cognitionem vexari permittit. Hinc D. Gregorius: (b) *fit Deo providente, ut qui furtiva vincit, a levi superetur: quatenus sic agnoscat, a Deo fuisse, quod majora vicerit: & ita mens sua de infirmitate roboretur.* Quare Chanaanus conteri potuit, non potuit exterminari: efficitur tamen tributarius, quia & vitium illud humilitati subservit. Quare Judicum 3. dicitur: (c) *hæ sunt gentes, quas reliquit Dominus, ut erudiret Israel.* Semper enim ab eis vinci formidandum est. In parvis autem discit, quod ex se majora non subjecit. Hactenus ille.

Quis igitur, dum hanc tantam intra se miseriarum atque malorum scaturiginem sentit, intumescere atque superbire audeat? Recte enim Ecclesiasticus, (d) *quid, inquit, superbit terra & cinis?* Non adeo mirum esse videtur, altissimum illum angelum elevasse cor suum in decore suo; quippe qui harum miseriarum expers erat: at qui tantos intra & extra nos in corpore simul & anima vilitatis & humilitatis testes & præcones

(a) 2. Paralip. 36. (b) Gregor. Moral. lib. III. (c) Judic. 3. 1. (d) Eccli. 10. 9.